



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Juramenti Absolutio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10447**

artic. 2: difficul. 4: conclus. ult. D. Thom. loc. cit. Soc. 4: sent. dist. 45: q. 7: ar. 1: vide in pract. mea penit. c. 25. quest. 24.

Hæc breviter, cætera habebis, prout dictum est supra, si Deus benedictus concedet.

### JURA EPISCOPALIA.

**I**ura Episcopalia sunt in duplici genere, quædam sunt de lege diœcesis, ut perceptio cathedratici debita, pars oblationum, decimarum, mortuarius, & alia quæ per extensum narrat Innoc. in c. Theodosius, de stat. monach. n. 2: quædam sunt de lege jurisdictionis, ut causas audire, & omnia quæ ad Judicem pertinent, collatio Sacramentorum, visitatio, ordinatio, correctio, inquisitio, excommunicare, interdicare, statuta facere, conferre beneficia, institutio & alia multa, prout Innoc. loc. cit. & c. 1: de off. ord.

### JURAMENTI ABSOLUTIO.

**Q**uia dictum est ex communi opinione, & stylo curiarum, in iuramenti absolute, seu potius habilitatione, non requiri partis citationem, hoc tamen fallit, quando petitur absolutio, seu habilitatio à perjurio incurso, puta, quis promisit solvere cum iuramento centum alicui pro die vigesimoquinto Augusti, illo die transacto sit perjurus, si petit absolvi, seu habilitari à iuramento, prætendens aliquam exceptionem, talis absolutio, seu habilitatio, non est danda parte non citata,

ita concludit Feder. de Senis, consi. 301. Anch. consi. 193: nec sufficit in hoc, si qui juraverit, dicat, se fuisse enormiter læsum, quia in tali casu læsio non sufficit, & ita dicit fuisse decisum in Rota, Gom. de brev. numer. 49. Dices, quod si pars citata comparens, dicat, non debere absolvi, vel habilitari perjurium, sed condemnari sibi ad solvendum, quod promisit, dico quod potest perjurus condemnari, ut solvat, qui tenetur solvere jure obligationis, & postea repetere poterit jure læsionis, vel alias, gl. in cap. debitores, in ver. cogendi sunt, juxta finem, de jurejur. sed quod dicitur, non debere dari habilitationem in enormi læsione, hoc non videtur satis dictum, cum etiam in gravissima, & enormissima læsione, etiam si non sit ultra dimidiam, datur actio, l. 2: de rescind. vend. cap. cum dilectus, de empr. & vendit. Covar. lib. 2: c. 3: n. 8: & c. 4: n. 5: var: resol.

### INQUISITIO.

**P**rimò, quia tripliciter potest iudex procedere contra delinquentes regulariter, s. primò per accusationem, prout in c. qualiter & quando, cum aliis, de accusat. secundò, per denunciationem, c. super his: tertio, per inquisitionem sive ex officio, c. inquisitionis, eod. rit. Host. in sum. in tribus titulis, videlicet de accusatione, denunciatione, & inquisitione, Diaz. c. 1: pract. cri. can. ideo quando iudex procedit per viam inquisitionis, debet esse cautus, quia non debet incipere, nisi præcedat infamia, clamor,